



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 4. Paupertas amicis, rebus necessarijs, & ope aliena videtur carere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

fit paupertas?

*Nudaq; paupertas, & adunco fibula morsu
Obfuerant.*

§. IV.

*Paupertas amicis, rebus necessarijs, & ope
aliena videtur carere.*

Plures sunt caussa, cur paupertas mala
censeatur, non enim tantum amicis caret,
qui nummis caret; non tantum destituitur
necessarijs rebus ad vitam sustentandam;
nec tantum despicitur; aut odiosos facit;
sed etiam alijs malis obruitur, ob qua me-
ritò despici videtur. Nam paupertas causa
est malae educationis liberorum. Paupertas
est multorum grauium criminum occasio.
Paupertas ipsas virtutes facit steriles. Pau-
pertas reddit homines hominibus, ob furta,
& latrocinia, abominandos. Paupertas ho-
mines ad blasphemandum impellit, & adi-
git ad laqueum atque extremam despera-
tionem. 1. Quòd amicis careat pauper, Sa-
lomon docuit illis verbis: *Diuitia addunt
amicos plurimos: à paupere autem & hi, quos
habuit, separantur.* Quod Poëta ita expressit,
*Cùm fueris felix, multos numerabis ami-
cos:*

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Quin vt idem Salomon dixit: *Fratres homi-*

Prou. 19.
4. 5.

Prou. 14.
20.

A 4

nis 20.

nis pauperis, oderunt eum, insuper & amici
procul recesserunt ab eo. Etiam proximo suo
pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi.

2. Quòd rebus necessarijs careat, idem te-
statur. *Redemptio anima viri, diuitia sua: qui
autem pauper est, increpationem non sustinet,*
nihil potest militi importunè petenti ob-
sistere; nullo munusculo lenire ferocientem
exactorem; non se à seruitute, non à vin-
culis captus, non à tyrannide liberare op-
pressus. 3. Hoc ipso, quia pauper amicis
caret, despicitur, & ita inops est, vt ope ca-
reat etiam aliena: Hinc illud:

Martial,

*Pauper eris semper, si pauper es, Ami-
liane:*

Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

Ouid lib,
1. Fast.

Et alterius Poëtæ.

*In pretio pretium nunc est: dat census ho-
nores,*

Census amicitias, pauper ubiq; iacet.

Iuuenal,
Satyr. 3.

Denique *Haud facile emergunt, quorum vir-
tutibus obstat*

Res angusta domi.

§. V.

*Paupertas mala educationis & vitiorum causa,
virtutumq; obex esse videtur.*

4. Paupertas idcirco est malæ educationis
causa,